

4 Demonstratio *ōn* **est prior ordine demonstratione**
dion, **sed posterior dignitate.**

Prior ordine, scil. inventionis, itemq; cognitionis confusè. Priùs enim cognoscimus quòd res sit talis, quàm cur sit talis. At demonstratione *ōn* probatur, quòd res sit, demonstratione *dion*, cur sit, seu propter quod sit.

Demonstratio *dion* sumitur à causâ proximâ
tum efficiente, tum finali.

Num sit de- Nam à causis internis, materiâ & formâ, sumi nequit. Nō
monstratio à materia; quia mediū demonstrationis est causa affectionis
à materiâ & seu prædicati; ut verò subjecti sit causa, nō requiritur. Mate-
ria verò prædicati seu affectionis aut est genus ipsius, uti colo-
ris genus est qualitas patibilis; aut subjectū ejus, uti colo-
ris materia est corpus. Illa dicitur materia interna, hęc exter-
na à quibusdam. At neq; genus affectionis, neq; subjectū il-
lius, possunt esse medium demonstrationis. Non genus; quia
illud non est causa speciei. Non subjectū; quia subjectū con-
clusionis non potest esse medium. Falsus igitur Aristoteles,
qui *z. post. c. 12.* tradit, materiam posse esse medium demon-
strationis. Sed nec à forma sumitur medium demonstratio-
nis, sicut idem d.l. asseruit. Ratio; quia si forma prædicati es-
set medium demonstrationis, cōmitteretur petitio quæstio-
nis: ut, Animal rationale est homo. Socrates est animal ra-
tionale. E. Socrates est homo. Minor enim non est notior
concluſione, imò idem, ut ait *Molinæus in Logicis.*

Demonstratio à causâ efficiente proximâ sum-
ta est, quæ pro medio habet causam efficientem
proximam prædicati.

Ejus canon est:

*Positâ causâ efficiente proximâ & adæquatâ, necesse
est effectum ponî, & remotâ tolli.*

Exempli gratiâ: Omnes libri immediatè divinitùs inspi-
rati, sunt canonici. Omnes libri Prophetici & Apostolici,
sunt immediatè divinitùs inspirati. E. sunt canonici. Item:
Quidquid præditum est animâ rationali, illud est risibile.
Omnis homo prædictus est animâ rationali. E. omnis homo
est ri-